



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem


Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 3. De subtractione gratiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

November,



DIES III.

De Subtractione Gratiae.

I.

Nunc autem abscondita sunt à te, eò quòd non cognoveris tempus Visitationis tuae.
Luc 19. 42.
Et 44.
Si scires donum Dei
Joan. 4. 10.
Ambulate, dum lucem habetis
Jo. 12. 35.

SI gratiam contemnimus, optimo jure ea nobis subtrahitur. Gratia est Visitatio Domini, qua nos honorare dignatur. Si Januam ei occludis, eumque excipere recusas, recedit. Habésne querendi causam? potéstne is justius te punire? gratia donum est, quod Deus liberalitate prorsus gratuita tibi offert; & quidem donum, quod omnia bona in se comprehendit: hoc donum si repudias, id tibi offerre cessat; quid æquius? si eo careas, nulli, nisi tibi ipsi imputare debes. Gratia est lumen; si hoc tibi se offert; tu verò fenestras occludis; penes quem est culpa? non penes solem, sed penes te. Deus toties tibi lumina sua obtulit; & tu eis rebellem te præbuiisti. Si igitur iiste te privat, ut cæcus maneat, an non cæcitatem tuam mereris?

II. Subtractio gratiae pæna est terribilissima, quia Deus punit contemptum, qui in eam admittitur: hac pæna si nos castigat, nos ut hostes tractat. Deus aliquoties in nos animadvertit, velut Pater: idque

que ex misericordia, & in bonum nostrum. *November.*

Aliquoties punit, ut Judex; & per hoc vult, ut iustitiæ suæ fiat satis; vult, ut crimen expietur; & non, ut peccator pereat; idque vult propter peccatum, non propter peccatorem. Sic punit in Purgatorio. Sed aliquoties punit ut hostis; atque offensam ulcisci, simulq; perdere sceleratū cupit: sic in inferorum carcere punit reprobos; sic nos punit, si gratiā nos privat; tunc enim ut hostis nos percutit: *Plaga enim inimici percussit te, inquit Propheta, castigatione crudeli. Jerem. 30 41.* Alia mala nobis esse ingentia bona possunt: hoc verò purum malum est, quod aliò desinere non potest, nisi in nostram perniciem, & reprobationem. Ah! Domine, alijs pænis lubenti animo me submitto, modò hanc â me avertas; eas in gratiis numero, si â supplicio tam funesto me servent.

III. Subtractio gratiæ potissima plerumque pœna est, qua Deus gratiæ contemptum, vel abusum punit. Conquerimur aliquoties de patientia Dei in tolerandis peccatoribus. At, proh dolor! clam vindictas exercet; quæ, cùm videantur minùs manifestæ, non minùs tamen funestæ sunt; cùm nempe peccatoribus lumen, cuij sese opposuere, subtrahit, eosque fatali

November, tali cæcitate percutit. Eheu! quoties animadvertit Deus hoc supplicio etiam in Christianos! & sanè, nisi plerique cæci esset, videremusne, ipsos in tanta Dei oblivione, in tanta salutis suæ incuria vitam transigere? videremusne, eos tam parùm formidare iudiciorum Dei rigorem, tam parùm laboris impendere eisdem prævertendis, quotidie se exponere, uti faciunt, effectibus infelicitatis æternitatis ob momentaneam voluptatem, ob exiguum lucrum, sese vanitati dedere, ea facinora felici sorti imputare, quibus Deus æterna destinat supplicia? an nos denique integros fallaci cum tranquillitate perseverare in peccatis, quæ eos odio Dei, ejusque horrendis vindictis obijciunt certas inferni victimas, si in hoc statu moriantur: cum sibi polliceri nulla die possint, eam sibi non fore postremam. Quàm incredibile esse videtur hujusmodi cæcitas in aliquo Christiano! qua ratione hæc cum fide convenit, & nihilominus quantopere ea usitata est! an non & tu illius es particeps? si eam formidas, tantopere tibi formidanda non est.

Pete à Deo, ut te puniat potius quacunque aliâ pœna, quàm privatione gratiæ: & sæpè cum Propheta eum alloquere: Domine, ne projicias

eruas me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum November.
ne auferas à me.

Exhortamur, ne in vacuum gratiam
Dei recipiatis. 2. Cor. 6. v. 1.

Sævis in occulto spargens pœnales cæ-
citates super illicitas cupiditates. Aug.

DIES IV.

De Mortificatione.

I.

DOctrina Christi ad mortificationem ita
nos obligat, ut ab ea immunis esse
nemo nostrum possit. Evangelium uni-
versum hanc nobis tradit veritatem. E-
vangelium liber est vitæ; sed Christus in
eo non nisi de mortificatione loquitur. Hæc
juxta ipsum unica via est, qua ad vitam
pervenire possumus. Hæc Servatoris ex-
hortatio toties iterata, qua docet, sibi ipsi
& inordinatis propensionibus renuntian-
dum, crucem suam portandam odium in
animam suam habendum, eamque perden-
dam, per viam angustam eundum; hæc,
inquam, exhortatio, quid nobis indicat,
nisi, quod carnem & sensus, animique mo-
tus subigere debeamus? Poterátne Chri-
stus potentius aliquid dicere? poterátne a-
mor